



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hermanni Conringii De Antiquitatibus Academicis Dissertationes

Conring, Hermann

Helmeftadii, 1674

Supplementvm LXXXIV. Ad pag. CLXXIIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12929

& tamen multa habet obscuriora. Is commentarius brevi iterum recensendus à nobis est: adeoque hoc loco nihil addemus.

SUPPLEMENTVM LXXXIV.

Ad pag. CLXXIIX.

Privilegiorum quibus Academiae nostri temporis, eorumque cives, fruuntur, quatuor summa sunt genera. Quaedam videlicet eorum continentur scriptis tabulis Pontificum, Caesarum, Regum, Principum & universim eorum quibus ejusmodi beneficia concedere jus & facultas competit. Quaedam consuetudinaria sunt, & à solâ consuetudine vim & auctoritatem suam nanciscuntur. Quaedam per consuetudinem quidem inceperunt post tamen lege scriptâ confirmata sunt & quasi roborata. Quaedam denique à doctoribus duntaxat seu juri aut æquo consentanea producta sunt: quæ tamen minùs sunt firma, quandoquidem ipsi doctores sententiis discrepant, & sæpenumero imbecilibus nituntur argumentis, quod cum primis observare est in Petri Rebuffi & Horatii Lucidi libris de Privilegiis Studiosorum. In verbis Tabularum Maximiliani II, quæ adduxit Dissertatio, haud obscura fit mentio trium primorum generum: quod nempe privilegiorum alia jure scripto, alia consuetudine nitantur, & omnia denuo Academiae Juliae confirmaverit scriptis illis tabulis Augustus idemque optimus Imperator.

Dignum porro noratu est, in Diplomate Cæsareo isto non memorari singula, sed in genere tantùm concedi Juliae nostrae Academiae privilegia sive scripta sive consuetudinaria, Academicarum Bononiensis, Senensis, Patavinæ, Papiensis, Perusinæ, Parisiensis, Lipsiensis aliorumque Studiorum privilegiorum. Quod si igitur omnia Juliae concessa privilegia exactè scire velis, tibi omnium Academicarum Privilegiatarum

Bbb

rum

rum & tabulas scriptas & consuetudines pernoscendæ erunt. Utrum verò etiam ad Britannicas, Hispanicas, aliasque ex-
 teras omnes Academiâs sit respiciendum, dubito; idque quo-
 niam in nullis tabulis Imperatoris aut Pontificis, quas equi-
 dem vidi, earum sit mentio. Sunt alioquin in primis Anglicæ
 plurimis atque eximiis privilegiis exornatæ: quod cum ali-
 unde tum ex Pitsei libro de Oxoniensis Academiæ Antiqui-
 quitate est manifestum. Ne quid tamen porrò dissimulem,
 verba ejusmodi Tabularum, si usum videas, magis sapiunt
 formulas Concellariæ, quàm ut reapse omnia illa privilegia
 largiantur: ac proinde haud videntur rigide cuncta accipien-
 da atque exigenda esse.

In similes verò formulas & similia privilegia conditæ
 sunt, & jam 1502 à Maximiliano I Wittebergenfis, & à sequen-
 tibus Cæsaribus saltim omnes Protestantium Academiæ,
 quæ quidem cœperunt intra hosce centum quinquaginta
 circiter annos. Sunt autem illæ sic satis multæ & florentes.
 Est enim iniquissima & impudens nonnullorum hostium
 calumnia, Protestantibus exosas esse Academiâs & Scholas
 omnes: cum utique saltim in Germania hæ & numero &
 florente statu reliquis fortè sint superiores, certe non mul-
 tum impares, præsertim si annumeres etiam illas, quæ pri-
 dem ante cæperant quidem post autem in mores & ritus Pro-
 testantium transferunt.

SUPPLEMENTVM LXXXV.

Ad pag. CLXXXIV.

IN Accursii verbis illud dignum notatu est, quod di-
 cat, *non esse consuetum ut Studiosi pedagiam solvant.* Inde e-
 nim liquet, jam tunc temporis, saltim in Italia, ubi vixit
 Accursius, immunitatem istam vectigalium fuisse recepti
 moris, quacunque etiam illâ auctoritate cæpisset. Quam
 levia